

# Adamus Olearius

Ascaniensis.

Adami Olearii vitam et scripta illustrare cur mihi proposuerim, non est puto quod multis verbis me apud lectores huius scriptionis scholasticae excusem. Quemadmodum enim familia maiorum suorum imagines libenter et cum voluptate contemplari solet, quod dummodo recte et sine vana superbia fiat cordatiorum hominum nemo omnium ei exprobrabit, ita scholam fas est, imo decet egregiis alumnis pariter ac praestantibus magistris tamquam ornamenti gloriari eorumque memoriam pie recolere. Ita gymnasium nostrum Nicolaitanum iure meritoque praeter multos alios monstrat discipulos suos, ut paucis commemorandis defungar, Carpzovios fratres, Mayeros, Godofredum et Johannem Fridericum Olearios, Leibnitios, Fabricios, Seumios, Hauboldos, Ebertos, Wineros; ita praeceptores habuisse gaudet Johannem Muslerum, Jacobum Thomasium, Christianum Aenotheum Haltausium, Johannem Jacobum Reiskium, Joachimum Fellerum, Christianum Theophilum Schwarzium, Augustum Seidlerum, Carolum Ernestum Christophorum Schneiderum, Christophilum Benedictum Funkium, alios. Inter hos et multos, quos recensere longum est, non ultimum sane locum tenet vir multis nominibus laudandus, non per longum quidem tempus, sed per triennium modo Nicolaitanorum magistrorum collegio addictus, Adamus Olearius, quem non solum rerum mathematicarum, physicarum et linguarum orientalium scientia excelluisse, sed etiam inter praestantissimos tristissimi saeculi decimi septimi peregrinatores, rerum geographicarum et ethnographicarum auctores

et scrutatores censendum esse quis est qui ignoret? Multi fuerunt viri auctoritate gravissimi, qui illum maximi facerent, quos si opus foret facile enumerare possemus. Sed iuvat acquiescere in transscribendis verbis, quibus perquam honorificis Goethius eum laudavit.\* ) Ita enim ille: „Wir sprechen,“ inquit, „von dem trefflichen Manne nur im Vorübergehen. Sehr merkwürdig ist es, verschiedene Nationen als Reisende zu betrachten. Wir finden Engländer, unter welchen wir Sherley und Herbert ungeru vorbeigingen; sodann aber Italiener; zuletzt Franzosen. Hier trete nun ein Deutscher hervor in seiner Kraft und Würde. Leider war er auf seiner Reise an den Persischen Hof an einen Mann gebunden, der mehr als Abenteurer, denn als Gesandter erscheint, in beidem Sinne aber sich eigenwillig, ungeschickt, ja unsinnig benimmt. Der Geradsinn des trefflichen Olearius lässt sich dadurch nicht irre machen; er giebt uns höchst erfreuliche und belehrende Reiseberichte, die um so schätzbarer sind, als er nur wenige Jahre nach della Valle und kurz nach dem Tode Abbas des Grossen nach Persien kam und bei seiner Rückkehr die Deutschen mit Saadi dem Trefflichen durch eine tüchtige und erfreuliche Uebersetzung bekannt machte. Ungern brechen wir ab, weil wir auch diesem Manne für das Gute, was wir ihm schuldig sind, gründlichen Dank abzutragen wünschten.“

Adamus Olearius natus est Ascaniae sive Ascherslebiae, patre Marco Oelschlägero (ita enim gens vocabatur, antequam Adamus morem illius saeculi secutus nomen gentilicium latine reddidit,) anno ut perhibent 1599.\*\*) A re familiari parum instructus, quum pater sartoris opificio aegre familiam sustentaret, a matre et sororibus lanificio nutriebatur, ita ut duriora in pueritia studiorum initia experiiretur. Hac egestate nisi et optimo pueri ingenio delectati Jesuitae aliquoties, sed irrito conatu, eum in castra

\*) Vid. „Westöstlicher Divan. Originalausg. Wien und Stuttgart 1820.“ pag. 437.

\*\*) Mirum sane in modum variant qui de eo scripserunt in designando anno, quo natus fuerit. Alii enim anno 1599., alii 1600., alii 1603. natum esse dicunt, sed is quem supra diximus verus videtur natalis, quum constet annum 72. aetatis fuisse fatalem; obit enim Olearius d. 22. Febr. 1671. Cf. Moller's Cimbria literata, tom. II. pag. 593. Forbiger's Beiträge zur Geschichte der Nicolaischule in Leipzig, sect. I. pag. 65. Rödiger in Encyclopaedia Erschii et Gruberi, sect. III. tom. 3. pag. 37.

sua alicere studuerunt. Omnibus illecebris pariter ac studiorum impedimentis feliciter superatis theologiae maxime operam datus in Academiam Lipsiensem se contulit, ubi 1627. magisterii honores nactus est. Non ingratii quid facere nobis videmur, si e panegyrico magistrali, quo ex more tum temporis recepto vitae magistrorum recens creatorum versibus decantari solebant, pauca quaedam ad Olearium pertinentia huc transscribamus, \*) maxime quum verba illa doceant, quamquam quantamque Jesuitae, egregiorum ingeniorum semper venatores, operam dederint, ut illum sibi conciliarent.

### **Adamus Olearius, Ascanius Saxo.**

Miror, Adame; nimis, (mirari forte iuvabit)  
 Non potuisse tuos in pravum flectere sensus,  
 Sartores fraudum monachos, scelerumque satores  
 Nominis exsortes JESU, Sathanaeque ministros.  
 Nec Kirchneriadē \*\*) te sustinuisse trahace  
 Illecebrā, factis sub religionis avitae  
 Praetextu crucibus, Juvenem seducere; constans  
 Mole tua stabas, veluti Marpesia cautes  
 Aeolidas ridet, dignaturque moveri.  
 Non quisque Ausonias valet incantamina Circes  
 Evitare, catus nisi sit, nisi cautus Ulysses.  
 Ad nos ergo redis pertaesus et osus inanes  
 Ampullas, nihil elucae potuere Baalis  
 Affaniae, potuere nihil pellace veneno  
 Haereticae fraudes. Nihilum sapitura palato  
 Romulidum revocas coelestia dogmata menti.  
 Pectus inaccessum vitiis, virtutibus imples,  
 Secernens bona diversis fugienda petendis.

\*) Cf. Thomae Securii Hermathena, Lips. 1627. d. 25. Januarj, num. XVIII.

\*\*) Non satis intelligo, quid sibi hac voce voluerit Panegyrista. Coniicio legendum esse Kircheriadē, ita ut notissimus ille Athanasius Kircherus eruditissimus sui saeculi Jesuita et polyhistor celeberrimus taxari videatur.

Excusis assiduo Logicen, dissolvere tortos  
 Ediscis sirpos, quibus imposuisse videbas  
 Indoctae plebi solito pro more Suitas. etc.

Quae in illo panegyrico sequuntur docent, quibus praeceptoribus in Academia Olearius usus fuerit; laudantur enim Muellerus, Recklebenius, Finckius, Buelovius, Duerfeldius.

Anno 1630. Senatus Lipsiensis Oleario munus Correctoris scholae Nicolaitanae detulit, quo munere per triennium functus quam sibi laudem comparaverit, non certa quidem ad nos fama perlata est, sed hominem egregie cordatum et varia doctrina imbutum etiam per breve illud tempus optime de discipulis suis promeruisse, certo certius videtur. Non ingratum fore puto meminisse, quinam fuerint illa tempestate praeceptores Nicolaitani, ut intelligatur, quibuscum viris doctis Oleario viro sane eruditissimo collegisque ut videtur ingenii dotibus longe superiori intercesserit necessitudo.

Ac Rector quidem scholae illo tempore fuit M. Thomas Lebzelter, Ulmensis, vir ceteroquin obscurus, qui anno 1630. in rectoratum accitus eodem anno vita defunctus est. Eius in locum successit M. Zacharias Schneider vir multo doctior et multis libris editis clarrissimus. Collegae tertii munere fungebantur Oleario Correctore duumviri: M. Johannes Schlenkenberger, qui dicasterii urbani secretarius postea factus anno 1632. vita decessit, et M. Michael Lembach (ann. 1632—33.), qui a. 1633. Corrector gymnasii Dresdensis ad S. Crucem factus, postea parochus Plaviae vico apud Dresdam sito a. 1676. mortuus est. Caeteri magistri hierant. Cantor s. Collega IV. (ab ann. 1627—1635.) Paulus Richterus, qui Rector scholae Muscaviensis in Lusatia superiori a. 1655. diem supremum obiit. Collega V. Ambrosius Engelmann (a. 1627—54.), Notarius publicus Caesareus et advocatus supremi iudicij aulici. Collegae VI. Caspar Leister (a. 1627—32.?), posthac (ex anno 1645.) parochus ecclesiae Meiningensis, et Nicolaus Poldeck (a. 1632—1647.?) Collegae VII. M. Johannes Valentinus Majus (a. 1626—1631.?) et Nicolaus Hoffmannus (a. 1631—163...?) Collega denique VIII. Christophorus Schoene (a. 1626—1631.), in cuius locum quis successerit, ignotum est.

Hos igitur viros Olearius per triennium fere collegas habuit (ab anno

1630—33). Sub idem tempus (anno 1633.) iam inter privatos magistros Academiae receptus, locum sive quam dicunt Collegiaturam in Collegio Principum Minori, quod ad Universitatem litterariam Lipsiensem pertinet, obtinuit et simul Assessor Ordinis philosophorum factus est, quae beneficia eum Lipsiae retinere posse videbantur. Sed res secus cecidit. Quaecumque enim iam maiores nostros allicere solebant Lipsiae propria et peculiaria omnis vitae cultus oblectamenta (unde pristinum et decantatum illud: „Extra Lipsiam nulla vita; si est vita, non est ita“), illa certa tempestate inter belli tricennalis tumultum locum non habebant. Abundabat quidem Olearius multis bonis, quae vitam iucundam reddere possunt, ingenio, virtutibus, honore apud omnes bonos, amicis (e quibus unum Paulum Flemingium\*) memoravisse iuvat). Sed tristissima tum fuit urbis nostrae facies: agri devastati, annona cara, Mars quam Musae potior, Tilliis et Holkiis urbem obsidentibus et militibus effrenata saepe licentia saevientibus. Quid mirum igitur, Olearium litterarum et litterati otii amantem aliam desideravisse et sibi quaesivisse sedem? — Scilicet inter amicos eius Lipsienses aetate minores fuit etiam Iohannes Adolphus Kihlmannus Holsatus, qui deinceps iuvenili adhuc aetate cancellarius aulicus Friderici III. ducis Holsato-Gottorpensis factus, Oleario bene volebat, nec dubitandum est, quin is animum amici adverterit ad principem suum, qui magna pro illo tempore consilia ad rem mercatoriam promovendam et augendam animo agitabat. Hic princeps eruditissimus et rerum geographicarum pariter ac peregrinarum regionum cognoscendarum studiosissimus, ut Holsatorum commercia in Asiam usque propagaret, legationem ad Michaelem Fedrovicium Magnum Russorum Ducem et Sefium Persarum Regem mittere decrevit. In consiliis enim quum haberet ut quae merces Persiae et Indiae Orientalis tunc per Asiam Turcicam et mare mediterraneum in Europam transvectae essent per mare Caspium et Russiam subvehementur, Fridericopolin suam aptum ac civibus suis commodum et utile fore emporium (stapulam medii aevi homines vocant) futurum esse posse iure arbitrabatur.

---

\*) Ita enim rectius nomen scribitur una modo littera m.

Quod in votis habebat Olearius, ut legationi illi adiungeretur, id a Friderico duce iam initio anni 1633. impetravit. Legati ordinarii fuerunt Philippus Crusius et Otto Brueggemannus; vario nomine et titulo adiuncti Adamus Olearius (legationi a consiliis et epistolis), Paulus Flemingius poeta ille celeberrimus\*), Johannes Albertus de Mandelsoh eques aulicus, comites et ministri plus quam centum. De his viris quaedam monenda videntur. Primus igitur in scenam prodeat Philippus Crusius, quem nonnulli perperam Martinum Crusium vocant. Hic legati primarii munere functus florentissima aetate (natus enim erat Islebiae a. 1598.) primum Comitibus Mansfeldensibus, tum Duci Holsato-Gottorpiensi a consiliis fuit. Anno 1627 imperialis curator necessitatum bellicarum et deinceps praefectus Stormariae factus, pace composita altera vice muneribus publicis in Holsatia functus, Regi Sueciae a consiliis fuit et res ad mercaturam spectantes moderatus est. Nobilibus adscriptus postquam nomen de Krusenstirn accepit, praefectus Revaliae annum aetatis 79. agens e vita decessit. Caeterum hic vir litteratissimus et in negotiis publicis versatissimus multis etiam libris editis clarus fuit.

Otto Brueggemannus, alter legatus ordinarius (natus d. 29. Febr. ann. 1600.) naucleri Hamburgensis filius, lignorum vendor\*\*), in multis terris Europae, maxime in Hispania mercaturam factitando et peregrinando non vulgarem rei mercatoria et linguarum scientiam (v. c. Hispanicae et Lusitanicae) sibi paraverat. Postea adversam fortunam expertus Gottorpium se contulit, ubi mox gratiam iniit a Friderico Duce, qui eum legationi cum Crusio praefecit. Sed Brueggemannus tantum abfuit ut spei in se positae satisfaceret, ut insolentia, malis artibus fraudibusque omnem legationem in summum periculum non semel induceret et quorum animos conciliare debebat, eos infestos sibi redderet. Ita ubi navis legatorum

\*) Hic quo nomine legationi adiunctus fuerit, (nonnulli eum medicum legatorum fuisse falso prohibent) Lappenbergius in editione Germanicorum Flemingii poematum. Stutgard. 1865. tom. II. pag. 866 docet. „Die Bewerbung,“ inquit, „gelang Fleming so weit, dass er als einer der vier Hofjunker und Truchsesse angenommen wurde; wenn gleich seine Hauptthätigkeit die eines Gelehrten und Reisepoeten wurde.“

\*\*) Non pannorum eum venditorem fuisse, ut multi tradunt, Lappenbergius et tabulario Hamburgensi docuit, l. l. pag. 872.

per mare Caspium vecta ad Persicum littus appulsa est, tignis quae Rex Persarum ad naves exstruendas magna pecunia sibi comparaverat potitus est, ut tormentis suis rotas et pedimenta conficienda curaret. Ita nobilem adolescentem Holsatum trucidaturus ex sancto regiae domus asylo sub Regis ipsius oculis protrahere studuit, quo facto Sefium, Regem perquam comem et civilem, qui legationem liberaliter exceptam largis muneribus et honoribus mactaverat, non sibi modo, sed etiam omnibus hospitibus ita alienavit, ut ille vix sibi ab occidendis hominibus Germanis temperare posset. Silentio praeterimus alia, verbi caussa adulteria cum Armeniacis mulierculis commissa, interversiones, epistolas Ducis Holsatici suppressas aut suppositas, quae omnia enumerare longum est. Igitur non mirum, Brueggemannum Kalendis Sextilibus anni 1639. in patriam reversum non modo a legato quodam Persico, sed etiam ab ipso Oleario legationis consiliario inter sicarios et proditores accusatum et a tribunalii Slesvicensi patibulo damnatum esse, quo facto Ducis iussu sententia in lenius mutata Gottorpii in foro ense decollatus est. (Vid. Theatri Europaei tom. IV. pag. 167. et: Biographien hingerichteter Personen. Nürnberg 1791. tom. II. pag. 217—240.)

Johannes Albertus de Mandelsloh Megalopolitanus iuvenili admodum aetate (natus erat mense Maio anni 1616.) legationi adscriptus est, ut Ducis Holsatici nomine et auctoritate officia faceret et quaecumque splendorem omni legationi affundere possent procuraret. Inter nobiles aulae Ducalis pueros a Friderico III. receptus et educatus quum haud spernendam bonarum et elegantiorum litterarum scientiam sibi comparavisset, quaecumque ei demandata erant negotia tanta cum dexteritate subiit, ut Sefio Persarum Regi maxime se commendaret, qui magna pecunia annua oblata ut sibi a consiliis esset eum in Persia retinere studebat. Sed iuvenis in scrutandis peregrinis regionibus summa voluntatem ponens anno 1636. navem Ormi conscendit, ut Indiam orientalem viseret. Agra igitur, Surata, Lahoria, Visapuria, littoribus Malabaricis et Ceylonia perlustratis promontorioque Bonae Spei superato in Europam reversus Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi stipendia inter equites Gallicos meritus

anno 1664. diem supremum obiit. De itinerario viri huius doctissimi posthac videbimus.

Ac de Paulo Flemingio celeberrimo poeta profecto non est, quod plura hic memoremus, quam quae ad ipsam legationem pertineant.\*). Verisimillimum est eundem illum bellicum tumultum, qui Olearium Lipsia abigeret, in caussa fuisse, ut de mutanda sede cogitaret. Anno 1633. honores magistri bonarum artium et doctoris philosophiae petiit, ad quos deferendos Ordo philosophorum diem ultimum mensis Januarii constituerat, sed propter pestem ingravescensem et bellicum tumultum exploratio et creatio magistrorum in diem 2. m. Maii dilatae sunt. Inter eos quibus officium eruditionis Candidatorum explorandae demandatum erat etiam Adamum Olearium fuisse novimus, cuius favorem et amicitiam iam antea Flemingius videtur nactus esse. Per aestatem illius anni modo Lipsiae (ubi v. c. d. 20. Junii Johanni Zeidlero dissertationem suam „de Carbunculo“ defendanti ad respondendum socius adfuit), modo Salitji,\*\*) ubi a Johanne de Loeser e nobili gente Misnica oriundo liberaliter exceptus per Augustum mensem degebat, commoratum esse accepimus. Salitii postquam ex Kretschmario\*\*\*) quodam, iuvene arti medicae addiscendae in Academia Lipsiensi operam navante, audivit legationem Gottorpensem, de qua iamdudum rumores sparsi erant, pro certo in Orientem missum iri, Olearii commendatione fretus ducem Holsato-Gottorpensem adiit, ut ipsum illi

\*) Optime sane de vita Flemingii accuratius describenda carminibusque eius recentidis post multos alias, Zachariaeum, Hornium, Schwabium, Varnhagenium de Ense, Gerwinum, promeritus est Martinus Lappenbergius. Hic enim vir doctissimus et sagacissimus multa inveterata de Flemingio commenta delevit. Ita ut uno tantum commemorando defungar Lipsiae nostrae gratum fecit probando, illum scholae Thomanae Crellio et Merckio Rectoribus fuisse discipulum, quem qui de eo scripserunt ad unum omnes scholae Misnensis alumnus fuisse absque ullo iusto argumento contendant. Vid. l. l. pag. 855.

\*\*) Salitz a Flemingio vocatur. Intelligendus est qui hodie Sahlis scribitur pagus in agro Lipsiensi situs. Eodem modo qui hodie Gohlitz appellatur vicus antique scribitur Gohlitz. Caeterum de Salitio et Johanne de Loeser vid. Album der Schlösser und Rittergüter des Königreichs Sachsen, Sect I. pag. 51.

\*\*\*) Fortasse eodem illo Simone Kretschmario, qui abiecto artis medicae studio custos vasorum argenteorum cum legatis Gottorpensis profectus est. Vid. Lappenberg l. l. pag. 866.

legationi adiungeret. Quod quo titulo factum sit, iam supra diximus. Voti sui compos domum profectus patri et novercae peregrinationem illam admodum dissuadenti valedixit et Hamburgum ad legatos se contulit, quibuscum Travemundiae d. 9. Novembris navem concedit, qua in Russiam veheretur.

Haec fere sunt, quae memoranda videbantur de legatis et potioribus comitibus legationi adjunctis. Jam ad Olearium revertamur. Ac primum quidem quum opus esset, ut legati cum Fedrovicio Magno Duce de transitu per Russicas provincias impetrando agerent, triginta quatuor legati eorumque comites Moscoviam missi sunt, ubi honorifice excepti annum fere degabant. Rebus bene gestis post septemdecim menses (a 6. enim d. Novembr. 1633. usque ad d. 6. mens. Aprilis 1635. e patria aberant) Gottorpium postquam reversi sunt, Olearius Friderici Ducis iussu Bruxellas, ut quaedam ibi negotia gereret, ad Cardinalem Infantem Belgii Hispanici Gubernatorem missus est, unde reversus Hamburgi periculoso morbo laboravit. Interea princeps Gottorpiensis de secundo itinere in Persiam faciendo cogitare et quaecumque legationem illuc mittendam splendidissimam reddere poent apparari iubere, pretiosissima munera Sefio Regi offerenda coemere. Operae pretium est, ipsum Olearium de comitibus legationis referentem audire. Hic enim ab initio libri secundi hodoeporici: „Die Personen des Comitats,“ inquit, „wurden nach Fürstlicher Hoffarth mit unterschiedlichen Ämtern und Titeln belegt, deren Ordnung war, wie folget: Hermann von Staden, von Riga aus Liefflandt, Marschall; Adam Olearius, von Aschersleben aus Sachsen, der Gesandten Rath und Secretarius; Johann Albrecht von Mandelslo, von Schönberg aus dem Stifte Ratzeburg, Stallmeister; Johann Christoph von Vchteritz, Erbgesetzten auf Litzena bey Leipzig aus Meissen, Cammerherr; Hartmann Gramann, von Stadt Ilmen aus Thüringen, der Herren Abgesandten Leib-Medicus; Heinrich Schwartz von Gryphswalde, aus Pommern, Hoff- und Küchenmeister. Hoff-Junckern und Truckessen: Hieronymus Imhoff, Patricius von Nürnberg; Thomas Malvil, von Ebertin aus Schottland; Mag. Paul Fleming, von Hartenstein aus dem Voigtlande; Hans Grünewaldt, Patricius von Dantzig; Salomon Petri, von Penick aus Meissen, Hoffprediger,

Hans Arpenbeke, von Dorpat aus Lieflland, Ober-Russischer Dolmetscher, Heinrich Krebs aus Hamburg, Lyon Bernoldi aus Antwerpen; [ceterorum comitum munera tantum et numeros adiicimus:] Cammer-Pagen (4), andere Pagen (4), Cammerdiener (2), Quartiermeister (1), Feldtrom-peter (2), Musikanten (3), Feldscherer (1), Kächenschreiber (1), Silberdien-ner und Conterfeier (3), Uhrmacher (2), Trabanten [Tischler, Reitschmidt, Sattler, Becker, Schuster, Schneider] (8), Lackeyen (9), Mundkoch (1), Küchenknechte, Küchenjungen (4), Wagenmeister (1), Feldscherergeselle (1), Juncker-Diener (4), andere Diener (5), Dolmetscher (3), Musikantenjungen (2), Stall- und Hundejungen (2), Schiffer und Botsleute (12). Zu denselben haben wir in Muscow noch 30 Gross Fürstliche Soldaten und Officirer neben vier Russischen Knechten angenommen. Dass also mit den Herren Gesandten 126 Personen waren, die sich auff dieser Persischen Reise be-funden.“ — Tantae molis erat legationem Persicam condere!

Die 22. mens. Octobris a. 1635. legatio Lubecae navem conscendit. Unde quum Revaliam traiecerant, Moscoviam terrestri itinere adierunt et navibus deinceps per Moscam, Occam et Volgam fluvios in mare Cas-pium delati naufragiumque ad Niasabathum passi per Medium et Persiam Ispahanum metropolin d. 3. Aug. 1637. pervenerunt, ubi a Rege Persarum admodum benigne exceptos et per annum fere bene et laute habitos esse iam supra memoravimus. Expeditis negotiis (quorum tamen ut non plane is esset successus, quem dux Holsatus ipsique speraverant, Brueggemann maxime importunitas in caussa fuisse videtur) a Sefio Rege benigne dimissi sunt et Hircania, Media, Albania et Tartaria peragratis viam per Russiam, Livoniam et mare Balticum remensi ipsis Kalendis Augusti a. 1639. Got-torpium redierunt. Olearius, qui quum Moscoviae commorabatur Fedrovicii Magni Ducis gratiam sibi comparaverat,\*) gravibus injuriis a Brueg-

\*) Hic princeps Olearii eruditionem egregiamque geographiae, matheseos et astrono-miae scientiam maxime admiratus est, ita ut antequam ille Moscovia decederet (d. 11. mens. Mart. 1639.), litteras salvi conductus „Oleario Professori Saxonico, magistro sibi caris-simo“ tradi iuberet et licentiam daret quotiescumque vellet cum comitibus suis in Rus-siam revertendi. Vid. Codicis diplomatum Runjanzafani tom. III. pag. 373. Idem Magnus Dux Russiae Olearium, tabulis Volgae fluvii provinciarumque regni Persici, quas ille concinnaverat, hydrographicis et geographicis admodum delectatus, Astronomum suum

gemanno affectus, Revaliae iam d. 15. mens. Aprilis 1639. a legatis discessit et ante eos navi in Holsatiam delatus litem ut supra memoravimus malitioso homini intendit.

Ab hoc inde tempore Gottorpii in otio exoptatissimo et honestissimo vixit, quum Dux eruditorum hominum amantissimus non solum eum „Mathematicum aulicum et Antiquarium“ suum esse vellet, sed etiam bibliothecae suae et Museo rerum naturae atque artis rariorum\*) praeficeret, quibus muneribus ille etiam Christiano Alberto Duce (Friderici III. successore) ad obitum usque fungebatur. Quae ab anno 1639. usque ad annum fatalem (obiit ut supra dictum est d. 22. mens. Februarii) egerit et quibus maxime studiis vacaverit, varia et multa eius scripta quae postea recensebimus satis docent. Quum de lingua Germanica excolenda et emendanda optime meritus esset, in societatem litterariam Carpophorum („Fruchtbringende Gesellschaft“) ab eius Praeside Wilhelmo Duce Saxo-Vinariensi, honorifico addito agnomine laboriosissimi („des Viel-bemühten“), receptus est et pro more illius societatis emblemate pomorum Russiae aurantiorum verbis „In der Fremde“ adiectis illustrato donatus. Res eius domesticae quam bonae malis intermixtis fuerint, quam uxorem duxerit, quos liberos suscepere, hic non enarramus. Mollerus l. l. pag. 594. haec omnia exposuit. Sed ad scripta eius ex ordine chronologico recensenda nos accingimus.

#### Scripta Olearii.

1627.

a) Disputatio de Actu et potentia, ab ipso Praeside proposita. Lipsiae. 4.

---

elegerat et ad munus illud litteris publicis vocaverat, sed Olearius, quum a plebe Russica pro mago futura ex astris vaticinante se haberi videret, in Russia se retineri non passus est. Cf. Moller Cimbria Litterata, tom. II. pag. 593. Moscoviam non nisi semel revisit, quum anno 1643. legatus Ducis Holsatici illuc mitteretur.

\*) Ad hoc augendum et locupletandum Olearius anno 1651. a Duce suo in Bataviam missus celeberrimum Museum Bernhardi Paludani, doctoris medici Enchusani, grandi pecunia ab heredibus defuncti emtum Gottorpium transportavit. Bibliothecam Ducalem bene instructam in meliorem ordinem digessit et bonos Catalogos concinnavit.



## b) Disputationes de Summo Bono et de Natura. Lips. 4.

Hi libelli in Catalogo bibliothecae Placcianae Oleario tributi incertum est quo anno publicati fuerint. Sed verisimile mihi videtur, eos anno 1627. lucem vidisse.

1630.

Kurtze Erinnerung und Bericht von der grossen und erschrecklichen Finsterniss, so dieses 1630. Jahres den letzten Maji bey uns zu Leipzig vmb halbweg 7 Vhr nach Mittag sich sehen lesset. Allen Gottfürchtigen Hertzen zur Nachrichtigung vnd Anmahnung zum fleissigen Gebet, vmb Abwendung des vorstehenden Vnglücks. Lips. 4.

In huius scriptionis titulo auctor diserte se vocat „Sch. ad D. Nic. C.“ Cf. sub anno 1632. a)

1632.

a) Fanum honoris magistralis, quod—in alma Philurea, publica solennitate et tripudio fuit apertum et carmine concelebratum. Lipsiae 4.

In titulo huius panegyrici magistralis auctor se diserte appellavit „p. t. ad D. Nic. Con-Rectorem“ (cf. ann. 1630.), ad quod munus respiciunt etiam qui in fine libelli leguntur versus:

## Ad Lectorem Poetam.

Parce meis odio metris, ex asse Poeta,  
Quae modo dulcoris pauper avena canit.  
Nam premit haud querulas suavis Philomela Cicadas,  
Nec raucos strepitus anseris urget olor.  
In scholico scripsi mea carmina pulvere crasso,  
Si quoque, quid mirum, pulverulenta sient.

b) Neues Astrolabium, auf viele und unterschiedliche elevationes poli gerichtet. Lipsiae. 4.

Cf. Catalog. nundinarum Lips. a. 1632. autumn. pag. 31.

1633.

Siegs- und Triumph-Zeichen Gustavi Adolphi Magni, Königs in Schweden, so am 6. Nov. a. 1632. in der Schlacht bey Lützen, alss ein Held gestanden, und mitten im Siegen gefallen, zu dessen unsterblichem Gedächtnisse aufgerichtet durch Ascanium Olivarium. Lips. 4.

Paulus Flemingius hoc carmen (vid. Poetische Wälder, lib. II. pag. 96.) his verbis laudavit:

— — — die hohe Sieges-Fahnen,  
Die du hast aufgesteckt dem Helden der Alanen,  
Die rühmen dich und ihn.

1635.

Lustige Historie, woher das Toback-Trincken kommt, etwas nach dem Niederländischen beschrieben durch Ascanium de Oliva. Lipsiae. 8.

Ita hunc librum laudat Catalog. nundin. a. 1635. autumn. pag. 15. Catalogus Endterianus primum Hamburgi 1636. prodiisse, Neumeisterns (in Spec. Dissert. de Poet. Germ. pag. 74.) deinde a. 1642. et 1678. repetitum esse dicunt. Lipsiae etiam anno 1652. recusus est sub titulo: Königlicher Rauch- und Schmauch-Feind, samt dem Toback-Schmause M. Ad. Olearii. — Wellerus (in libro: Annalen der poetischen National-Litteratur der Deutschen im XVI. und XVII. Jahrh. Freiburg i. B. 1862. Vol. I. pag. 377. num. 512.) hunc titulum attulit: „(Olearius, Ad.) Lustige Invention vom Tobacktrinken. Aus dem Niederländischen. Leipzig. o. J. (c. 1620). 4. m. Kupfer. — Scheible's Cat. 1857. S. 566.“ Sed is alias liber videtur de re tum temporis multorum sermonibus agitata.

1645.

Klaceschrift über den frühzeitigen Hintritt aus dieser Welt Herrn Johann Albrechts von Mandelsloh, Fürstl. Holst. Kammerjunckers und Kön. Frantz. Rittmeisters, welcher, nach zurückgelegter Persianischen und Ost-indischen Reise, sich in den Frantzösischen Krieg hat begeben, und schleunigst an den Kinderpocken ist gestorben. Slesvigae. fol.

Repetita est haec threnodia sub finem Itinerarii Persici 1647.

Joh. Alberti von Mandelsloh Schreiben von seiner Ostindischen Reise, an Ad. Olearium, auss der Insel Madagascar a. 1639. abgelassen, und von Oleario mit etlichen Anmerkungen ausgegeben Slesvigae. 4.

Hae litterae sub finem Itinerarii Russico-Persici Oleariani anno 1647. repetitae sunt.

1646.

Grab- und Ehrengedächtniss Oswald Belings, Fürstl. Holsteinischen Capitains. Slesvigae. fol.

Habetur etiam in fine libri: Oswaldi Belings verdeutschte Waldlieder, oder die X Hirtengespräche des Virgilii, in deutsche Verse übersetzt. Mit Anmerckungen und Ku-pfern ausgegeben von M. Ad. Oleario. Slevig. 1649. 4.

1647.

Ausführliche Beschreibung der kundbahnen Reyse nach Moskau und Persien, so, durch Gelegenheit einer Holsteinischen Gesandschaft, von Gottorf aus, an Michael Fedrowiz, den grossen Czar in Moskau, und Schach Sefi, König in Persien, geschehen; wo inn die Gelegenheit der Örter und

Länder, durch welche die Reise gegangen, als Liefland, Russland, Tartarien, Meden und Persien, samt dero Einwohner Natur, Leben, Sitten, und Hauss- welt- und geistlichem Stande, mit Fleisse sind aufgezeichnet, und mit vielen, meist nach dem Leben gestellten, Figuren geziert. Schlesswig, 1647. fol.

Princeps haec editio variis de caassis magni aestimanda est, imprimis quum textum genuinum carminum Flemingii hic illic intersertorum exhibeat et tabulae chalcographicae, ut sponte intelligitur, longe sint meliores quam quae in posterioribus editionibus habentur. — Secunda editio (Slesvig, 1656. fol.), quae in ipso titulo appellatur „Vermehrte Neue Beschreibung der Museowitischen vnd Persischen Reyse“, in quatuor libros et capitula distincta est et praeter indicem aliquot novas tabulas chalcographicas, v. c. Narvae urbis delineationem, continet. Aliae editiones posthac publicatae sunt annis 1663, 1671. fol., 1664. 4. Novissimae editioni hic est titulus: „Colligirte und vermehrte Reisebeschreibungen, bestehend in der nach Muskau und Persien, wie auch J. Albr. von Mandelslo morgenländische und Jürg. Andersens und Volq. Jversens orientalische Reyse etc. Nebenst (Sadi's) beygefügtem persianischen Rosenthal und Baumgarten. Hamb, 1696. — De Mandelslovio, Andersonio et Jversonio pauca quaedam monenda videntur.

Mandelslovii (de quo supra diximus pag. 9.) itinerarium Olearius iam a. 1658. seorsum edidit sub hoc titulo: Des HochEdelgeborenen Johan Albrechts von Mandelslo Morgenländische Reyse-Beschreibung. Worinnen zugleich die Gelegenheit und heutiger Zustand etlicher fürnehmen Jndianischen Länder, Provincien, Städte vnd Jnsulen, sampt derer Einwohner Leben, Sitten, Glauben vnd Handthierung: wie auch die Beschaffenheit der Seefahrt über das Oceanische Meer. Herausgegeben durch Adam Olearium. Mit desselben unterschiedlichen Notis oder Anmerckungen, wie auch mit vielen Kupffer Platten geziert. Hamb, und Schlesswig 1658. fol. Hoc opus cum Olearii itinerario inde a secunda huius editione coniunctum est.

Georgius Anderson s. Andreae Tunderensis, homo litteras non doctus, sed insigni iudicio et tenaci memoria teste Oleario praeditus, anno 1644. in Bataviam et inde in Asiam traecit Turciamque, Persiam, Palaestinam perlustravit, imo ad extremos usque Indos penetravit. Sexennio in regionibus Asiaticis inter varia rerum discrimina transacto ann. 1650. in patriam reversis a Friderico Duce Nomarchiae in agro Slesvicensi Cropsensis incolis Judex praefectus, saepiusque ad colloquia de gentium Orientis rebus in aulam evocatus est. Hie vir quum, licet ab amicis rogatus, historiam sui itineris scribere nolle, Dux postulavit ut quotidie per horam in bibliotheca sibi adesset et quae apud exteriores observasset viva voce exponeret. Has narrationes Olearius ignaro Andersonio in loco bibliothecae secretiore abditus calamo exceptit et cum simili Volquardi Jvaridis itinerario primum ann. 1669 evulgavit. In Belgicum sermonem vertit Joh. Henr. Glasemacherus Amstelodami 1670. 4, uti Corn. a Breughem in Bibliogr. hist. pag. 522. testatur. Cf. Mollerii Cimbr. litt. I. 18.

Volquardus Jversen Husensis artem libros compingendi in iuventute edoctus usque ad annum 1655. inter operas bibliopegi cuiusdam Amstelodamensis fuit. Ibi quum a nautis ex India Orientali reversis hanc summis extolli laudibus audiret, deserto opificio a gubernatoribus societatis Indicae petit ut militibus propediem illuc ablegandis adscriberetur. Quo facto ad Indos delatus, per quinquennium mercatoribus Batavis in Moluc-

censibus maxime insulis inservit. Potestate in Europam revertendi impetrata postquam navem d. 23. m. Dec. ann. 1661. concendit, naufragium passus ad D. Mauricii insulam appulsus est, ubi omnium rerum inops per tres fere menses degebat. Post varios casus (de quibus vid. Mollerum I. I. I. 287.) anno demum 1668. in patriam reversus a Christiano Alberto Duce Gottorpiensi in aulam evocatus ac de gentibus et locis Indiae exponere iussus est. Historiam itineris conceinam, quae ab homine illiterato exspectari non poterat, composuit Olearius.

Itinerarium Olearii qua assentatione per totam fere Europam exceptum sit, cum satis notum est omnibus, tum versiones testantur. Prima statim editio in Hollandicam linguam translata est per Ditericum de Wageningen (Ultraiecti 1651. 12.). Altera versio Gallica eiusdem editionis publicata est Parisiis 1656. 4. („par L. R. D. B.“ hoc est: „par le Ré-sident de Brandenbourg“ [qui fuit Abrahamus de Wicquefort]), quam secuta est secundae editionis versio ibid. 1659., repetita ibid. 1666. et 1679. Lugduni Batavorum 1719. Amstelod. 1727. Anglica versio est Johannis Daviesii, Londini 1666. 1669. fol. et 1705. 8. Tres priores libri itinerarii (ad ed. II. anni 1656.) in Italienum sermonem translati sunt hoc titulo: Viaggi di Moscovia degli anni 1633—36. livri trecavati del Tedesco. Viterbo 1658. 4.

## 1650.

Ballet von Unbeständigkeit der weltlichen Dinge, vnd Herlichkeit vnd Lobe der Tugend, auf dem Beylager Ludovici Landgrafen von Hessen-Darmstadt, und des Holsteinischen Fräuleins Mariae Elisabethae, zu Gottorf, am 27. Nov. A. 1650. vorgestellet.

Scriptum anonymum, cuius auctorem se esse Olearius sub finem demum indicavit.

## 1654.

Der Persianische Rosenthal. In welchem viel lustige Historien, scharffsinnige Reden, vnd nützliche Politische Regeln, Discurse vnd Sprüch-wörter enthalten, vor 400 Jahren von einem trefflichen Persianischen Poeten, Schich Saadi, in Persischer Sprache beschrieben, jetzt aber von Adam Oleario, mit Zuziehung eines alten Persianers, Hackwirdi, in die Deutsche übersetzt, und mit vielen Kupfern, auch einigen Anmerkungen geziert. Es sind demselben beygefüget Lockmanni Sinnreiche Gedichte und Fabeln, wie auch die Arabische Sprüchwörter, gleichfalls verdeutscht. Schless-wig. fol.

Haec egregia versio carminis Persici Gulistān s. Rosarii, quae etiamnunc ab omnibus Orientalium linguarum guaris summopere laudatur, altera vice recusa est („mit etlichen Historien, vielen Notis vnd Figuren vermehret vnd verbessert“) Slesvig. 1660. 4. Tertia vice prodiit appendicis loco addita Olearii Itinerario Russico-Persico, a. 1696. Cae-tum fama est, Wilhelmm maxime, Ducem Vinariensem et societatis fructiferae Prae-

sidem, auctorem fuisse, ut Olearius animum applicaret ad carmen illud Germanice faciendum.

1658..

De Itinerario Indico Mandelsloviano vid. supra sub anno 1647.

1659.

a) Cypriani Herliche Gedancken und bewegliche Reden von der Sterblichkeit, wie auch ein Gebet desselben, verdeutscht durch A. O. Hamburgo. 24.

b) Cypriani Geistreiche vnd sehr bewegliche Reden von der grossen Güte der Christlichen Gedult, verdeutschet durch A. O. ibid. 24.

De utraque hac opusculorum Cypriani versione videndus est Placcius in Theatro Anonymorum et Pseudonymorum c. 11. pag. 424.

1660.

Compendium Fortificatorium, oder Kurtze Anleitung nach heutiger Art Städte vnd Örter zu befestigen, meist nach Adam Freytags Architectura militari gerichtet etc., durch Adonis. Slesvigae. 8.

1661.

Friderichs, Hertzogen zu Slesvig vnd Holstein, Hochfürstliche ansehnliche Leichenbegängniss, vnd Beysetzung im Thume zu Sleswig, so geschehen am 31. Jan. 1661., beschrieben und mit Kupfern verzieret. Slesvigae. fol.

Huic exsequiarum summi sui fautoris descriptioni Olearius nomen suum non praesepuit.

1662.

Geistliche Sinnbilder, mit gottseligen Gedanken eines rechtschaffenen Christen. Slesvigae. 12.

Etiam hic liber Adami Olearii nomen non in fronte gerit, sed tribuitur illi a Lipenio (Biblioth. Theol. part. I. pag. 592.) et Catalogo Zeidleriano.

1663.

Kurtzer Begriff einer Holsteinischen Chronic, oder Summarische Beschreibung der denkwürdigsten Geschichte, so, innerhalb 200 und mehr

Jahren, nemlich von A. 1448. biss 1663., in den Nordlanden, sonderlich in Holstein, sich begeben: alles auss bekandten Geschicht-Schreibern aufs kürzeste zusammengetragen durch A. O. Slesvig. 8.

Recusum est hoc compendium, XIII libris constans, sub finem editionis secundae libri: Beschreibung der Gottorfschen Kunst-Kammer, Slesvigae 1674. 4. Tertia editio auctior habet titulum: Geschichte der Herzogthümer Sleswig und Holstein, imgleichen der herumbliegenden Nordischen Länder, Francof. ad. M. 1703. 4. [In hoc libro insunt etiam: Christ. Solini Holsteinische Chronica, Anonymi Continuation der Holsteinischen Chronic Olearii, et Anonymi Stamm-Baum der Könige in Dennemarck, und Herzogen von Sleswig-Holstein.]

## 1664.

Die gantze, von D. Mart. Luthero verdeutschete, Bibel Altes und Neues Testamentes, in drey Theilen, mit grossen Lettern, auf Befehl und Unkosten Mariae Elisabethae, verwittweten Herzogin zu Holstein-Gottorf, aussgegeben. Schlessw. 4.

Haec editio in usum oculorum senilium ab Oleario publicata est. Laudatur a Bartholino (Dissert. II. de legendis libris, pag. 123.).

## 1665.

- a) Sleswigisches vnd Holsteinisches Kirchenbuch, in welchem befindlich:  
 1. die fürnehmsten Kirchen-Gesänge, mit der Messe vnd etlichen Collecten;  
 2. die jährliche Evangelia vnd Episteln, mit ihren Collecten; 3. die Historie des Leidens Christi etc. Schlessw. 4.

Litterae A. O. sub finem Epistolae dedicatoriae adiectae testantur, hunc librum ab Oleario concinnatum esse.

b) Trauer-Gedächtniss und Denck-Zeichen Herrn Christophori von Meinstorf, Erb-Herrn auf Seegard im Nord-Strande, so alss der letzte und Beschiesser des alten fürnehmen Meinstorfischen Stammes, am 5. Dec. a. 1664. gestorben, und am 16. Febr. a. 1665. begraben worden. Schlessw. fol.

## 1666.

- a) Heinrichs von Üchteritz, eines Meissnischen Edelmanns, Kurtze Reisebeschreibung, und Historie seiner West-Indischen Slaverey auf der Insel Barbados, und wunderlichen Errettung aus derselben. Schlessw. 4.

Editorem huius itinerarii Olearium fuisse et notas adiecissem, testatur Reyherus in Dissert. de Insulis. — De rebus in hoc libro enarratis haec monuisse sufficiat. Henricus de

Uechteritz, dominus hereditarius pagi Modelwitz, anno 1650. in Scotiam traiecit et in exercitu Caroli II. Regis stipendia meruit. Qnum in pugna ab hostibus captus esset, una cum multis aliis eiusdem casus consortibus Cromwellii iussu anno 1652. in insulam Americanam, cui nomen est Barbados, turpissimum quondam venaticiariorum emporium, deportatus ibique a Comite quodam Anglico parvo pretio emtus et in servitutem abductus est. Postquam per octodecim menses in duro vixit exilio, factum est ut mercatores Gotorpienses negotiandi caussa advenirent, qui quum audivissent generosum illum servum Christophoro de Uechteritz nobili cuidam eiusdem nominis puero in aula Ducis Holsatiae versanti cognatum esse, e servitate redemptum in Germaniam secum reduxerunt.

b) Gotorpische Kunst-Kammer, darinn allerhand ungemeine Sachen, so theils die Natur, theils künstliche Hände, herfürgebracht und bereitet, auss allen vier Theilen der Welt sind zusammengetragen, mit behörigen Kupfern geziert und beschrieben. Schlessw. 4.

Iterum hic liber prodiit „Aufs neue übersehen, und zum andern mahle gedruckt, samt einem Holsteinischen, aus Christ. Solini Chronologia kürzlich verfasseten, Chronicorum, und A. Olearii Kurtzem Begriffe einer Holsteinischen Chronicarum. Schlessw. 1674.“ 4. Tertia editio publicata est Francof. 1703. 4. — Caeterum auctor hanc scriptionem non nisi prodromum et compendium prolixioris de Museo Gotorpiensi operis esse voluit.

c) Erfundener Weg zum Paradeise, mit Kupfern. Schlessw. 12.

Hic libellus iam antea Hamburgi 1646. 12. editus esse dicitur.

d) Historie der Cleopatra, der überaus schönen, wolberedten, aber unzüchtigen, Königinn in Aegypten, vorgestellet von AdOnis. Schlessw. 8.

AdOnis, i. e. Adam. Olearius.

e) AOnidum carmen elegiacum in fundationem Academiae Kiloniensis. Slesvigae. fol.

Hoc carmen, cuius auctorem litterae initiales primae vocis indicant, habetur in A. J. Torquati Historia inaugurationis Academiae Kilonensis. Slesvigae 1666. fol.

#### 1667.

Panegyricus Johanni Wouwerio, Johannis Adolphi Ducis Holsatiae Consiliario intimo et Praefecto Gotorpiensi, dictus. Kilonii. fol.

Wouwerius, quem Olearius laudavit, est notissimus suae aetatis polyhistor, iurisconsultus aequo ac politicae artis peritissimus, omnis antiquitatis scrutator, philologus et historicus, de quo cf. Moller Cimbr. litt. Tom. I. pag. 747.

#### 1668.

a) Olearii et Stanisl. Lubienicci, Eq. Poloni, mutuae de Cometis epistolae.

Publicatae sunt in Lubienicci Theatro Cometicō, Amstelod. 1668. fol. pag. 635—641.

## b) Relation aus dem Gottorpsischen Parnasse. Schlessw. fol.

Hoc libro Olearius Christiano Alberto Duci Holsatico nuptias gratulatus est.

Restat, ut pauca quaedam de meritis Olearii in Flemingii amici sui carmina edenda dicamus. Notum est hunc praestantissimum sui saeculi poetam d. 2. Aprilis (qui dies Viridium fuit) anni 1640. Hamburgi, anno aetatis trigesimo primo nondum impleto vita defunctum paullo ante quam mortem obiret amico decem fere annis maiori carmina sua bene ordinata („in guter Disposition und ordentlichen Inscriptionen“, Olearius ait) evulganda tradidisse. Cui pietatis officio quominus statim satisfaceret, licet Olearius multis negotiis impeditus esset, prodromum tamen totius operis maxime Nihusio Revalensi socero Flemingii adhortante emisit hoc titulo: „D. Paul Flemings Poetischer Gedichten, So nach seinem Tode haben sollen heraussgegeben werden. Prodromus. Hamburg, Anno 1641.“ \*) Prima editio Germanicorum Flemingii poematum ab Oleario adornata prodiit anno demum 1646. hoc titulo praemiso: „D. Paul Flemings Teutsche Poemata. Lübeck. In Verlegung Laurentz Jauchen Buchh.“ (s. a.) \*\*)

\*) In ipso hoc Prodromo Olearius: „Da es in den Druckereien“, inquit, „etwas langsam gehet, so hat des Autoris Schwiegervater, der Ehrenveste vorachtbar vnd wolvorneme Herr Heinrich Nihusen der Alter, Bürger vnd Handelsman zu Revel in Lieflandt, vor gut angesehen, dass dieses Opusculum als ein Prodromus des gantzen Wercks vorhergehe.“ Hic libellus continet 56 Flemingii carmina. Ipsi dedicationi subscripta sunt verba: „Gegeben zu Revel, d. 10. Junij Anno Salutis nostrae 1641. M. Adam Qlearius, Fürstl. Holst. Hofmathematicus zu Gottorff.“ — Caeterum Prodromus ille anno 1642. de-nuo editus est. Vid. Lappenberg. I. I. II. pag. 846.

\*\*) Lappenbergius I. I. p. 847. de illa editione haec monuit. „Nach der Angabe des Olearius in der 1648. October datirten Vorrede seiner Ausgabe von Flemings lateinischen Epigrammen hatte er die Ausgabe der deutschen Gedichte Flemings ante biennium besorgt. Dagegen erwähnt er in der Vorrede zu der Lübecker Ausgabe den Prodromus als „vergangenen 1641. Jahrs aussgelassen.“ Es scheint demnach, dass er diese Vorrede schon 1642. geschrieben und die Sammlung der Gedichte zum Druck fertig gemacht hat, dass aber, während er mit neuen Aufträgen an den Czaren nach Moskau geschickt war, der Druck verzögert und erst 1646. beendet wurde. Es ist jedoch nach der angeführten Stelle zur Lübecker Ausgabe allgemein angenommen, dass diese schon 1642. erschienen sei, und findet sich diese Zahl handschriftlich in dem Exemplar der Hamburger Stadtbibliothek beigeschrieben.“

Hanc editionem principem (mendis licet typographorum scatentem, tamen reliquis meliorem) quatuor aliae deinceps secutae sunt, quae Jenae et Numburgi prodierunt, quos accurate ut solet Lappenbergius descriptis l. l. pag. 848–50. — Tandem prodierunt: Nova Epigrammata Pauli Flemingi D. Edita per M. Adam. Olearium. Anno 1649. Alter tomus hunc titulum habet: Pauli Flemingi Germani, Med. D. et Poetae Laur. Caes. Epigrammata Latina ante hac non edita. Hamburgi 1649. (etiam Amstelodami 1649. Editio est una eademque.)